

liter propter passiones humanas, ut etiam si quando tollantur, tamen usque recurrent; e.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Quomodo ergo sub regimine repraesentativo jam a sex saeculis bene stet status constitutionalis Angliae.

R. 1) Plurimum differt status anglicus a reliquis modernis constitutionalibus; nam :

a) Indoli illius populi est accommodatus : tenacis consuetudinum, frigidi temperamenti, propriis privatis rebus facilius providentis.

b) Non applicatur alicui multitudini aequalium, sed societati organisatae, cum ordinum distinctionibus, etc.

c) Non fuit subito impositus societati, destructis omnibus praexistentibus, sed lente, duce natura, ex factis concretis variis evolutus.

d) Per quinque saecula nulla erat cultuum, religionum, preli libertas moderna, nec liberalismi tendentia; quinimo neque hodie est cultuum plena indifferentia.

e) Non usus est in Anglia, ut multiplices leges ferantur, antiquentur, iterum fiant; nec ut quod una factio fecit, altera succedens totum destruat, et in oppositum mutet; sed iisdem principiis et normis agendi, saltem quoad gubernationem internam societatis, utentes ambae factiones alternatim idem opus promovent.

f) Judices numero pauci, sed valde honorati, magnae auctoritatis sunt.

g) Regia majestas magni habetur; omnes sciunt potestatem multitudini ejusque electis fuisse a regibus concessam, nec cuiquam venit in mentem theoria suprematiae essentialis et inalienabilis in multitudine.

R. 2) Bene stetit stabilis per saecula praeterita, quamdui nullus liberalismi moderni anhelitus; sed ab his ultimis decenniis, liberalismi spiritui invadenti, ac passim jam suffodienti resistere se non posse ostendit; potestque praevideri mox futura similitudo cum europaeis miseriis.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Quonodo inducenda mutatio societatum nostrarum in statum melius ordinatum. — R. Nihil fiat cito, nihil subito; sed praecedat intellectum illuminatio, voluntatum inclinatio, exsecutio lenta, semper in eamdem directionem, per partes, occasionibus desumptis ex factis variis concretis.

#### CAPUT IV.

#### DE SOCIETATE INTERNATIONALI.

##### Propositio 222.

**Existit jus internationale tum naturale tum positivum, quo variae societas civiles inter se uniuntur et obligantur.**

**Stat. quaest. 1)** Ad quaestionem, utrum aliquod jus commune varias nationes inter se obliget, respondent recentiores alii, *nullo jure*, nullo officio

mutuo eas uniri : illi nempe qui omne jus ex societate civili et coactione per regimen oriri dicunt.

2) Alii dicunt existere jus gentium, seu internationale, sed illud esse *unice positivum* : totum oriundum ex sola mutabili voluntate hominum, minime ex ipsa lege naturali.

3) Alii dicunt illud esse *unice naturale* : totum oriundum ex sola lege naturali, praeter quam nulla alia existat obligatio inter nationes, quum nulla sit conventio universalis, nullus judex vel auctoritas ab omnibus nationibus accepta et agnita.

4) Alii dicunt illud esse *unice in utilitate* fundatum, ex qua tota illius juris moralitas oriatur (Machiavel).

5) Respondent scholastici, existere jus gentium, idque ita ut complectatur : a) jura et officia *naturalia*, ex ipsa lege naturali immutabili oriunda, nationum inter se; b) jura et officia *positiva*, non directe ex lege naturali sed *ex consuetudine* universalis oriunda, quae ad omnes gentes tum quoad vitam interiorem socialem, tum quoad externas internationales relationes extendantur; c) jura et officia positiva *ex contractibus et factis aliis concretis* orta, quae relationes inter varias aliquas, non omnes, nationes ordinent, sintque inter eas servanda sicut inter privatos cives variae similes relationes.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (naturale).** Totum genus humanum, per omnium naturam humanam unam, ad finem ultimum unum destinatam, et per legem naturalem et moralitatem unam, efficit societatem naturalem universalem unam, mutuis officiis et juribus stabilitam; a. hoc vinculum sociale universale naturale exuere nequeunt homines, etiam quatenus particulares societates locales vel civiles ineunt; e. inter omnes homines, etiam quatenus societates varias civiles constituant, est jus naturale; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (positivum).** Singulae societates sunt personae morales, quibus essentialia manent omnia humana essentialia : finis ultimus cui omnia subordinanda, media rationalia moralia; a. talibus personis essentialiter inest capacitas assumendi officia, acquirendi jura, quibus melius determinantur ea quae ex sola lege naturali non satis determinata sunt; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo omnes societates civiles per se spectatae et praescindendo a variis factis particularibus, aequalia habent jura; in concreto autem jura possunt inaequalia esse sicut inter singulos homines.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo subjecta horum jurium internationalium non sunt soli principes nationum, nec singuli earum cives, sed integrae societates prout sunt unitates morales. Exercitium horum jurium non omnibus competere potest, sed societatum principibus, qui proinde simul sunt et auctoritatis civilis (jurium et officiorum) ad intra subjectum, et jurium officiorumque internationalium ad extra organum.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo sicut homines privati, ita et societates officio tenentur mutuae benevolentiae et auxilii.

## Propositio 223.

**Variae societates civiles habent jura independentiae, proprietatis, commercii, contractuum, tutelae.**

**Notiones.** 1) *Habent jura*, si consideratur ipsa natura societatum civilium, abstrahendo tamen a factis particularibus concretis variis quae intervenire possunt, non quidem ad ea jura totaliter tollenda, sed modificanda, minuenda, subordinanda, etc.

2) *Independentiae* unius societatis ab alia.

3) *Proprietatis*: haec est vel *civilis*, i. e. jus consumendi rem possessam vel de ea disponendi; — vel *politica*, i. e. jus ordinandi singulas civiles possessiones ad bonum commune. — Dicimus societati civili competere proprietatem civilem quoad ea quae ipsi propria sunt, v. c. munitiones, publica aedificia, silvas publicas, etc; et proprietatem politicam circa cetera omnia, ordinando per leges modum proprietates civiles protegendi, transmittendi, conservandi; tributa imponendo, etc.

4) *Commercii*, i. e. commutationis mercium; ita ut ab alia cogi nequeat ad eam commutationem ineundam, nec duae nationes amicae possint a tertia impediri ab ea commutatione.

5) *Contractuum*, i. e. pacta, foedera, etc. inter se ineundi honesta, quibus fideles stare debeant.

6) *Tutelae*, i. e. prospiciendi defensioni personarum et bonorum suorum contra injustas aggressiones externorum, reparationemque ordinis, damni et honoris, exigendi.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (independentiae).** Societas civilis oritur ab ipsa natura, et proinde a Deo legis naturalis auctore, qui jura naturalia confert; *a.* variae illae variarum societatum origines sunt aliae ab aliis independentes; *e.* et jura et existentia et conservatio.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (proprietatis).** Societas ab aliis independens, habet jus ea media adhibendi quae ad suam existentiam, conservationem, et libertatem sunt necessaria; *a.* in his mediis plura sunt quorum usum simultaneum utilem plures societates habere non possunt; *e.* societas jus habet alias ab eorum mediorum usu excludendi quae ipsa sua fecit priore occupatione; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (commercii).** Societas independens habet jus ut a sola propria auctoritate dirigatur quoad propriam suam operationem; *e.*

**Prob. 4<sup>a</sup> pars (contractuum).** Societates sunt personae morales legi morali subditae et jurium capaces, sicut personae physicae; *e.* et fidem datam servare debet et jura ex contractibus orta exercere possunt sicut personae physicae.

**Prob. 5<sup>a</sup> pars (tutelae).** Societas civilis a natura oritur, eique auctoritas et jura naturalia a Deo conceduntur ad finem ejus proprium necessaria; *a.* ad hunc finem, prosperitatem communem civium, medium necessarium est jus tutelae personarum et bonorum; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo si qua natio, etiam barbara, terras sibi occupaverit, non licet aliis nationibus, etiam politioribus et fortioribus, illas terras vi occupare; — si vero gens errans, nullam fixam sedem habens, possit dici nullam terram sibi vere occupavisse, poterit terram alia gens occupare, non tamen potest gentem illam errantem sibi subjicere.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo potest natio aliqua tractus maris circa sua littora, defensioni necessaria, pescationi apta, etc. sibi occupare in proprietatem; — non vero potest legitime altum mare occupare; nam hujus potest esse usus utilis simultaneus pluribus; unde nullum est damnum quod sit titulus alias nationes excludendi.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo naves in alto mari subsunt ditioni propriae nationis.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ergo maria interiora quorum littora ad plures nationes spectant, occupari non possunt, nec eorum per freta ingressus impediri, nisi de communi consensu; nec freta inter varia maria possunt claudi, vel taxa onerari, nisi quando natio vicina propriis expensis transitum hunc navibus securum faciat, v. c. pharis, etc.

## Propositio 224.

**Ad auctoritatis civilis munus pertinet, commercium sociorum contra exterrorum concurrentiae pericula defendere, per protectionem aptis portorioris procurandam.**

**Stat. quaest.** 1) Circa mercium commutationem quaeritur, quanta sit singulis civibus libertas relinquenda. — Et primo circa illam commutationem quae fit inter varias partes ejusdem societatis civilis, ex ipso fine societatis patet, quam maximam libertatem esse concedendam, et immunitatem ab omni onere et tributo solvendo.

2) Sed quoad commutationem qua merces ex una societate in aliam importantur, magis hodie disputatur. Ab antiquitate usque ad nostra tempora, omnes cultae gentes solebant unice protectionis systemate uti. Recentiores systema liberae commutationis induxerunt, cui jam multi adhaerent.

3) *Systema liberae commutationis* totum ad hoc principium practicum reducitur, ut merces quaecumque ex una societate in aliam inducantur, nullo prorsus imposito aut percepto tributo, a societate alienas merces excipiente.

4) *Systema protectionis* finem intendit protegere industrias propriae gentis a nimia aemulatione vel etiam aggressione industriae alterius gentis. Medium est lex ut inter varias gentes commutationes mercium non fiant nisi soluto a gente merces importante tributo, quod excipitur a gente merces extraneas acceptante; quod tributum dicitur portorium. Nec requiritur ut semper et ubique idem portorium exigatur, sed in iis tantum mercibus imponendum est, quibus minus indiget gens excipiens, quas propria industria melius jam possidet; eaque proportione imponendum, qua vel crescit vel decrescit necessitas mercium, et periculum aemulationis externae.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Vigilare debet auctoritas ne adeo deficiat pecuniarum quantitas, in propria gente, ut tota societas in paupertatem dejiciatur; *a.* ex libertate commutationis hoc aliquando sequi potest; *e.*

**Prob. min.** Ex libertate commutationis minuuntur quidem (ob concurrentiam exterorum) pretia mercium, sed exportantur pecuniae gentis excipientis in gentem importantem; — *a.* ita minuitur thesaurus pecuniarum, nisi *a.* ipsa tantum mercium valorem in alias gentes exportet quantum importatum excipit, vel *b.* ipsa tantam metallorum quantitatem in nummos convertendorum sibi comparet, ut inaequalitatem commercii compenset; — sed saepe poterit utraque conditio deficere; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Curare debet auctoritas ne industria propriae gentis, et aliquod ejus organum ob ingentem importationem a gente aliena obruatur ac pereat; *a.* id facile fiet quoties alia gens, circa aliquam industriaem specialem, majore prosperitate, facilitate, abundantia praecellet, ac fructum importabit quem gens excipiens nonnisi longe majori pretio producere possit; *e.*

**Prob. 3<sup>o</sup>** Praecavere debet auctoritas ne propria gens aliquando rebus necessariis ad vitam vel defensionem propriam omnino privetur; *a.* id facile eveniet si gens propria, ob minorem in aliqua re prosperitatem, obnoxiam in ea re se faciat genti prosperiori, ex qua omnia debeat accipere; *e.*

**Ad min.** Si quando exarserit bellum, nihil jam importabitur, ac si tum fuerit neglecta propria industria, deficient fructus. — Est quidem vix possibile ut singulae nationes plene sibi quoad omnia sufficient, nec debeant ab aliis quidquam importatum excipere; at certe curandum est ut talis inferioritas nec nimia vel completa sit, nec praesertim circa res necessarias. — Potest proinde dici normam, secundum quam debeat auctoritas societatem in his rebus dirigere, eam esse ut quantum sperari possit, singulae societates sibi plene sufficere possint. Quod si quidem nequeat quoad omnia attingi, certe in necessariis efficiatur, in utilibus et superfluis intendatur.

**Prob. 4<sup>o</sup>** Convenit ut onera vectigalium quam minime opprimant membra propriae societatis, et potius tolerentur ab extraneis qui volunt a societate non sua percipere emolumenta; *a.* hoc obtinetur per portoria mercibus extra-neorum apte imposita; *e.*

**Ad maj.** Finis proprius societatis, ejusque auctoritatis, i. e. comparatio honesta mediorum exercendi jura sociorum, essentialiter involvit remotionem impedimentorum, ac proin onerum ferendorum quibus exercitium jurium fit difficilius; per se vero societas vel ejus auctoritas, ad nihil tale alteri societati procurandum tenetur vel ordinatur.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Sub regimine liberae commutationis, facilius et minori pretio possunt omnes merces quam sub ullo alio acquiri; *e.* — *R. n. ant.* (nam importantes extranei non sunt per se parati ut quam minimo pretio vendant, sed potius ut quam maximo lucro, unde non minuentur sensibiliter pretia, sed exportabitur pecunia; vel si minuuntur pretia mox peribit nationalis industria concurrere non valens).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Regimine liberae commutationis stimulatur cujusque gentis industria, ut aemulentur alias gentes praeclentes in aliqua parte artium, agriculturae aut cuiuslibet industriae; *e.* — *R. d. ant.* quamdiu appetet spes probabilis concurrentiae sustinenda, *c.*; si nimia est inferioritas quoad perfectionem, facilitatem productionis, nec possunt aequo pretio vendi merces propriae, *n.* (despondetur animo, peritque propria industria et organum).

**Objic. 3<sup>o</sup>** Libera commutatione plurimum excitatur gens quaelibet, ut illam partem boni publici et industriae promoveat, in qua ceteris praecelet; *a.* unaquaeque gens in aliqua saltem parte excellit; *e.* — *R. c. maj.* — *tr. min.* — *d. cons.* aequalis erit omnium gentium fortuna, et poterit sibi quaeque sufficere, *n.*; in miseriam aliquae inferiores decidunt, neque ulla erit sibi sufficienter organisata, vere independens, et harmonice evoluta, *c.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Libera commutatione plurimum foventur mutuae variarum gentium relationes, concordia, animus fraternus; *e.* — *R. d. ant.* relationes vere utiles, *n.*; relationes eae potissimum quae noxae sint, quibus merces vel perniciosae vel depravatae invehantur ob lucrum ex fraudibus, *c.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Libera commutatione gressus paulatim fit ad maiorem usque in genere humano inducendam unitatem etiam politicam, et minuenda pericula belli; *e.* — *R. tr. ant.* — *n. supp.* (hanc unitatem fore semper optabilem: erit enim bona parvis gentibus quae sibi sufficere non poterant; erit bona etiam magnis, quae si crescent, melius sibi sufficient quoad omnia, ac melius se defendere poterunt ab hostibus externis. Sed erit perniciosa societatibus nimis magnis, quae si ex multiplicibus gentibus coalescent, carebunt unitate necessaria, et efficacia in exercenda auctoritate suprema, sive ad pacem internam tuendam, sive ad hostes externos propulsandos, sive ad cognoscendam et procurandam harmonicam evolutionem omnium partium boni communis in tanta extensione. De his cfr. historia populorum).

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Incommoda ex libera commutatione longe majora oriuntur, ubi libertas illa tantum viget ex una parte, non vero ex utraque (unilateralis, non mutua).

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Nullum commodum est ex libera commutatione quod non possit etiam sub regimine protectionis obtineri. Illa enim fere reducuntur 1) ad maiorem copiam et facilitatem obtinendi bona materialia, et 2) ad stimulationem industriae socialis; *a.* portoriis moderatis et apte impositis idem obtinetur; et si qua deest merx, debetque apud alias nationes exquiri, hujus importationi nullum portorium imponatur, sed potius praemia et subsidia varia ac facilitates proponantur.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Utilitas quam praestare posse videtur libertas commutationum, apparet tantum est, majoraque damna secum fert. Addamus et hoc, quod ubi cessaverint adjuncta quae libertatem exposcere videntur, jam ad protectionem regressus fieri non potest sine periculo invidiae excitandae in ipsa societate, et vindictae inferendae ab aliis societatibus.

## Propositio 225.

**Falsa sunt moderna principia nationalitatum, nationalis unitatis, et limitum naturalium.**

**Notiones.** 1) *Principium nationalitatum*: «variae societas civiles ita inter se dividunt et uniri debent, ut omnes populi ejusdem linguae (vel: ut omnes ejusdem originis), in unam societatem coalescant; vel saltem in unam ethnarchiam convenient, i. e. inter se uno communi foedere uniantur, quo in aliquibus saltem rebus (v. c. in re militari, vel nummaria, in representatione apud ceteras gentes) unius praepotentis subsint hegemoniae.»

2) *Principium nationalis unitatis*: «omnibus unius societatis civilis membris imponi debet usus unius linguae, et conformitas in moribus, etc.»

3) *Principium limitum naturalium*: «confinia inter varias societas civiles ipsa natura physica et geographica terrarum determinantur, v. c. montibus, fluminibus, etc.»

**Stat. quaest.** 1) Inaudita ista principia, non ante nostrum saeculum enunciari poterant tanquam principia juris naturalis, vel saltem juris ex opportunitate oriundi. His plurimi abusus et violentiae justificari videntur.

2) Non negamus: a) similitudinem linguae et originis efficere ut prior et facilior sit conventus in unam societatem, — b) unitatem linguae in aliqua societate majorem facilitatem vitae socialis procurare, — c) saepe fieri ut limites naturales sint apti ad pacificas et certas determinationes terrarum retinendas et agnoscendas; — sed d) negamus illa ut principia juris statui posse, ac per vim applicari posse, neglectis factis et juribus.

**Prob. 1º** Societas civiles oriuntur quidem ex ipsa natura humana, sed earum origo concreta pendet a factis contingentibus variis, et a libero consensu vario hominum; a. exinde saepe oriri debent societas aliter constitutae quam secundum ista principia moderna, estque ea constitutio pleno jure naturali legitima; e.

**Prob. 2º** Finis et tota ratio essendi societatis civilis est proeauratio prosperitatis communis; estque jure naturali illi concessum omne medium ad hunc finem necessarium, tanquam jus; medium vero non necessarium sed utile tantum, conceditur tanquam jus tunc solum si aliunde nihil aliud obstat; — a. totalitas nationis, unitas linguae, etc, limites naturales, non sunt ad hunc finem necessaria, sed utilia tantum, quibus tamen legitima certa jura possunt obstare; e.

## Propositio 226.

**Bellum ad ordinis defensionem vel reparationem necessarium licitum est.**

**Notiones.** 1) *Bellum* est violenta ordinis inter nationes debiti defensione vel vindicatio. Hinc patet bellum non esse actum privatum sed actum socialis, nec proinde posse legitimum esse nisi ab auctoritate sociali suprema

geratur, nam hujus est ordinare societatem, ejusque ordinem et bonum tueri.

2) *Necessarium*, i. e. a) si aliud medium nullum adsit quo jam sperari possit ordinis conservatio vel reparatio, — b) si hoc medio, tam cruentis malis coniuncto, sit rationabilis spes felicis exitus, — c) si vere justa et proportionata causa adsit, gravis violatio ordinis debiti inter nationes, — d) si bellum fortiter geritur ad efficacem et promptam pacificationem obtinendam, servata tamen moderatione ne quid praeter veram belli necessitatem, et efficaciae ad finem intentum, couferatur populi miseriae.

**Prob.** Societas civilis est persona moralis, jus habens ad sui conservationem liberamque tendentiam in finem socialem; ac proinde si vis infertur injusta, ab alia societate, jus habet ut ordini conservando vel restituendo satisfiat; — a. societas civiles, ut independentes, nequeunt ad superius tribunal commune revocari; — e. nisi ordo sponte restituatur, sola manet vis armorum, sive ad impediendam et refellendam ordinis violationem, bello defensivo, sive ad eam reparandam et vindicandam, bello offensivo.

**Objic. 1º** Bellum est medium violentum; a. medio violento non ostenditur justitia causae; e. — R. d. maj. ad justitiam restaurandam, c; ostendendam, n. — tr. min.

**Objic. 2º** Bella societati afferunt magna mala; e. — R. d. ant. ad praevenienda multo majora et omnimoda, c; secus, n.

**Objic. 3º** Bellum natura sua caedes hominum importat. — R. d. ut finem, vel ut medium; n; ut incommodum annexum et permissum ob mala majora et plura avertenda, c.

**Objic. 4º** Bellum est injuria sociorum ipsius societatis bellum inferentis. — R. d. in bello injusto, c; justo, sd. est injuria proprie dicta, n; est calamitas permissa, ad pejora vitanda, c. (ad officium civis pertinet patriam defendere).

**Objic. 5º** Non licet facere malum ut eveniant bona. — R. d. malum quatenus ut medium, c; aliud connexum cum malo non intento sed permittendo, n.

**Objic. 6º** Societatis bonum est pax; a. bellum est pacis privatio; e. est intrinsece malum. — R. c. maj. — d. min. bellum injustum, c; justum, sd. simpliciter, n; momentanea turbatio ad solidiorem pacem restituendam, c.

**Coroll. 1º** Ergo bellum offensivum, quum ultimo necessarium medium esse debeat, indici debet, ita ut nihil aliud intentatum maneat; non item bellum defensivum, i. e. ubi alia natio prior impedit.

**Coroll. 2º** Ergo bellum, utpote actus socialis, suscipi potest in bonum commune, non in bonum aliquorum individuorum; aliter, quum deficiat causa justa et proportionata, fit injuria tum alii societati tum propriis civibus.

**Coroll. 3º** Ergo justae causae belli esse nequeunt: a) nimium incrementum potentiae alicujus nationis vicinae, b) aequilibrii inter nationes turbatio, in se spectata, c) ratio status, seu utilitas. — Sed esse potest justa causa foedus initum ad mutuam defensionem.

**Coroll. 4º** Materialiter justum pro utraque parte bellum esse non potest; sed formaliter (i. e. secundum quid, et bona fide) esse potest.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** In bello *evidenter injusto*, quod est latrocinium, milites nullum habent jus pugnandi. — Practice vero vix unquam milites gregarii inferioris gradus recte de belli justitia judicare possunt; ac in dubio obedire tenentur; sed ut voluntarii militare non possent.

**Coroll. 6<sup>m</sup>** Ergo in bello media necessaria sola licita sunt; quidquid resistentia non opponit, non est destruendum vel occidendum.

**Coroll. 7<sup>m</sup>** Etiam tempore belli debet patere via pacis, ergo : a) hostium legati admittendi et sancti habendi; — b) conditiones deditiois exercitus, oppidi, navium, sancte servandae, non revocandae a supra auctoritate si dux inferior se dedens limites sua auctoritatis non excessit; — c) direptio urbis captae vel deditae minus convenit; — d) ejus incolas occidere, vel ejus defensorum fortitudinem morte punire, barbarum est, et contra jus naturale.

**Coroll. 8<sup>m</sup>** Media ea sola adhibeantur quae possint, fine obtento, cohiberi; ergo portus claudere licet, obstruere non licet, nec fontes veneno inficere, nec armis venenatis uti...

**Coroll. 9<sup>m</sup>** Mala moralia nunquam licita sunt, v. c. prodiciones, foedifragia, perjuria, deceptiones;... sed stratagemate licet uti...

**Coroll. 10<sup>m</sup>** Confiscari ab hostibus possunt bona mobilia civitatis, non vero privata, nisi arma; — communi consensu excipiuntur bona etiam privata quae in alto mari capiuntur.

**Coroll. 11<sup>m</sup>** Etiam tempore belli civilis, debent rebelles interim haberi ut hostes alienae nationis, et juribus gentium gaudere; nam secus bellum fieret nimis crudele: omnes capti statim occiderentur! — In omni bello, hostes capti occidi non possunt, nisi in poenam alius delicti proprie dicti contra societatem, aut si proprii milites aliter conservari non possent, aut si nec secure dimitti ob apertam perfidiam, nec retineri, deficientibus alimentis, possint.

**Coroll. 12<sup>m</sup>** Societas pacem petens moderate tractanda, eique pax concedenda quoties injuriae satisfactio praestatur. — Potest peti compensatio pro expensis belli, et securitas a novis injuriis; quae securitas *si aliter haberi nequeat*, quam ut natio victa tota vel ex parte subjiciatur, privari potest tota vel ex parte, libertate patriae suae, sed non libertate civili.

**Coroll. 13<sup>m</sup>** Pace composita, cives etiam ob injustum bellum nequeunt morte puniri; sed rebelles devicti possunt morte plecti, nisi ad arma depoenda generalis venia promissa fuerit.

### Propositio 227.

Licitum non est vi et armis negotiis internis alterius societatis intervenire, nisi haec vel per legitimam auctoritatem suam postulaverit interventionem, vel in plenam anarchiam lapsa sit.

**Stat. quaest.** Multus fuit passim abusus juris vel officii interveniendi in aliam societatem ordinandam. Illius quaerimus juris naturam et limites.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (non licet).** Generatim omnis societas civilis, ut independens, non nisi per propriam auctoritatem ad bonum commune dirigenda est; a. qui intervenit, sibi arrogat jus eam ordinandi et dirigendi; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (si postulaverit, licet).** Omnis societas civilis potest ad sui conservationem vel prosperitatem media utilia adhibere quae nullius aliis societatis civilis jura certa laudent; a. petitio auxilii et interventionis jura certa nullius aliis nationis laedunt; e. vicissim rogato licet intervenire, nec ab alio tertio ullo impediri potest.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (si plena anarchia).** Licitum est, alteri velle et procurare bonum verum, et ad ejus existentiam necessarium; a. tale bonum nationi est ordinis restauratio, quam sibi ipsi jam procurare non potest; e.

*Ad min.* Tunc etiamsi haec societas nihil ab alia expetit, rationabiliter tamen supponere possumus, auctoritatem legitimam si qua foret, petitur auxilium, et plurimos cives illud reapse desiderare ad ordinem; nec interveniens sibi jus arrogat illam ordinandi, sed eam adjuvat ut ipsa se ordinet.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo intervenire non licitum est ut impediatur a violatione legis moralis, quoties illa violatio jura certa alterius nationis non laedit; sic v. c. bella barbaris illata ad promovendam civilitatem vel veram religionem, sunt illicita.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Nec licitum intervenire ob pravas doctrinas quae in alia societate sparguntur, nisi illa societas actu sociali conetur eas doctrinas aliis nationibus inferre; licitum est enim veram religionem suam et pacem unionemque animorum defendere, nec dicendus est ille interventus, sed potius bellum defensivum.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Si ergo solum individua tales doctrinas spargere conantur in alias nationes, eorum nationis est eos impedire, quod si facere negat, jam ipsa hac protectione publice agere dici potest.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Armorum et exercituum comparationes, ab aliqua natione factae, non sunt sufficiens ratio ut ei bellum inferatur; possunt solum vicinae cavere ne ex improviso imparatae impetantur.

**Schol.** Quid de omnium populorum unione in una ethnarchia, in qua singulæ quidem nationes quoad sua interiora liberae essent, sed quoad mutuas relationes uni alicui potestati supremæ, v. c. tribunali vel imperatori praepotenti, subessent; quo pacto omnes lites pacifico arbitrio componerentur atque universalis ordo stabilis, sine magnis stantibus exercitibus, firmaretur. — R. Desiderabile certe, sed desperatum consilium: nam supponeret generi humano universo bonam insidere voluntatem, claram veritatis cognitionem, perfectam passionum victoriam, proprii commodi renuntiationem.